

1505

P O L E M I C I.

1506

Libellis addidit *Brunus*, quibusque, saltem in *Parnasso*, subfellium non meruit.

DCXLVII.

E. 10 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 233. 4. maj. est Pars I. Operis inediti *Joannis Bodini Andegavens.* quod inscribitur: *Colloquium Heptaplomeres* (Ἑπταπλος et Μεγος, non tamen dictum a VII. *Libris*, quod putavit quidam, cum non nisi VI. sint, sed a VII. Collocutoribus) *de abditis sublimium rerum Arcanis.* Titulus, ut mos Veteratorum, ad alliciendo Lectores comparatus. Agitur vero in hoc *Colloquio* inter *Paulum Coronaeum Catholicum, Frid. Podamicum Lutheranum, Othav. Fagnolam Mohammedanum, Hier. Senamum Epicureum, Ant. Curtium Calvinianum, Salom. Barcaffiam Judaeum, et Didac. Toralbam Philosoph. naturalem de Religionibus*, et ita quidem, ut Christiani (*Bodiniani* nempe) ceteris et praecipue Philosophiae naturali et Judaismo palmam cedere videantur. Autor aliis Scriptis notus, verum in hoc eruditione sua maxime abusus perfecit illud a. 1588. aetatis 63. inde autem vitam produxit ad a. 1596. De morte ejus varii varia. Postquam vivens inter Catholicos, Reformatosque fluctuasset, sunt, qui Judaeum, sunt qui nulli religioni addictum obiisse tradunt. Refert haec plenius *L. Jo. Diecmannus* in *Schediasmate de Naturalismo cum*

*aliorum, tum maxime Jo. Bodini* recuso *Lips.* 1684. 12. ubi et *Opus nostrum* impugnat, quemadmodum *Pet. Dan. Huetius* ante ipsum in *Demonstr. sua Evangelica Paris.* et *Amst.* saepius edita praestitit. *Diecmanni* *Schediasma* recensuere *les Nouvelles de la Republ. des Lett.* mense Jun. 1684. p. 343. Adi etiam, si lubet, *Niceroni T.* XVII. p. 264. In quodam *Cod. nostro ms.* ex ore *Gabr. Naudaei* haec referuntur: *Guillaume Postel donna des memoires a Bodin, sur les quels il fit son Heptaplomeres. Ces memoires venoient d'une certaine Academie de quelques scavans Italiens, de la quelle Postel estoit le greffier.* Similia *Diecman.* p. 9. Pars nostra I. terminatur cum *Libro IV.*

Pars II. Folior. 247. reliquos duos *Libros* complectitur, et ad calcem habet: *Finis H. E. J. B. A. S. A. Æ. L. X. III.* Legendum fortasse: *Hic est Job. Bodini Andegavensis suae anno aetatis 63.* Historiam propagationis perniciosi hujus Operis, cujus *Απογοεαρον* a *Bodini* Heredibus ad *Henr. Memmium* *Parlam.* Praesidem devenisse dicitur, texuerunt Autores supra adducti. *Hugoni Grotio*, qui suum de eo promit judicium in *Epistola* 166. inter *Epistt. ad Gallos, Lugd. Bat.* 1650. p. 406. commodavit a. 1634. *Job. Cordesius.* *Cbristina Suecica* diu quaesitum tandem invenit. Sumtum inde *Απογοεαρον* vidit *Paul. Colomesius* in *Bibliotheca Brioti.* Atque hinc urgente ex una parte *Literato-*

B b 2

1507

C O D I C E S

1508

teratorum curiositate, ex altera lucelli cupidine Exempla multiplicata fuisse quivis facile videt.

DCXLVIII.

- H. 13 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 401. f. alterum Exemplar est mox dicti *Colloquii* uno Tomo compactum.

DCXLIX.

- H. 11 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Pagg. 248. 4. inscribitur: *Mutiani de Bath Equitis Scoti de Verae Religionis Inventione et Forma Libri Sex. Praeit Symbolum in Fronte Operis collocandum: Triangulum nempe in Circulo, quem Quadrum claudit. Quadro inscriptum: Anni tui non deficient, Circulo: Unum Verum Bonum, Triangulo: Idem ipse est. Succedit Epistolium: Domino Reinerio de Leers perillustri Typographo Rotero - Damensi, hujus tenoris: Veritas undique exagitata et ubique odiis exposita ad asylum libertatis simul et virtutis confugit (Bataviam scilicet vestram) venustissimis et fidelissimis tuis typis suum honorem committit asserendum, unaque rogat, ut errores Orthographiae emendes simul et condones. Vive bonus, ut semper foelix vivas. Veritas haec de Erroribus suis orthographicis tantum sollicita fucum nobis facere velle videtur, lego enim ad Operis calcem: Andrapoli in Scotia Typis Jodoci Olasco 1686. et nunquam illud*

prelo subjectum fuisse puto. Exemplar alterum ms. Catalogus *Bibl. Uffenbach. T. III. p. 681.* indicat, ubi Typographus *Jo. Clasquo*, tertium Catalogus *Bibl. Reimman. P. II. p. 989.* ubi *Job. Clasgo* audit. Διαγνωσις ipsius Scripti praeoccupavit doctiss. *Reimmannus* cum *l. cit.* tum *Histor. Atheismi p. 551.* locoque priore vere concludit: *Res omnes anomaliae, paradoxicae, et prodigiosae, et ita comparatae, ut, quas Ed. Herbertus, alique hujus commatis Naturalistae de hoc Argumento sparserunt, orthodoxa videri queant, si cum heterodoxiis Auctoris nostri comparantur. Atque hunc ego non extra Reineri de Leers Patriam, Seculumque XVIII. quaerendum censeo.*

DCL.

- H. 7 Codex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 133. 4. quaedam Scripta complectitur famosi *Increduli Job. Tolandi Hiberni Ultoniens.* de quo consulendi *Biographia Britan. Vol. VI. P. I. p. 3965. Niceronus T. I. et 10. Mosheimius de Vita et Script.* ejus &c. ex *Anglico* in *Gallicum* pravo studio conversa, et quidem 1) *Christianisme Judaique et Mahometan*, qui anglice in publicum extrusus est quadriennio ante Auctoris mortem *Londini 1718. 8.* titulo *Nazarenus, or Jewish, Gentile, and Mahometan Christianity &c.* sed in *Exemplo* nostro uberior est, aliterque ingreditur, et per-